De

Conventu Sagarum in monte Bructerorum, nocte ante Calendas Maji,

Disputatio,

Quam,

Divinâ favente gratiâ,

In Illustri Academia Witebergensi,

PRÆSIDE

Præ-Eximio atque Clarissimo

DNO. M. JOHANNE Müllern/

Serenisſ. SAXON. ELECTORIS Alumno,

Fautore atque Amico suo plurimùm colendo,

publicæ ventilationi,

ad ipsas Maji Calendas,

Anni M. DC. LXXV.

locô consvetô

horis antemeridianis

exponit

ADAMUS NICOLAUS BERSMANNUS,

Grimmâ Misnicus,

A. & R.

WITTEBERGÆ,
EX TYPOTHETEO HAKIANO.



VIRIS

Amplissimis, Prudentissimis & Spectatissimis,


DOMINIS CONSULIBUS AC UNIVERSO ORDINI SENATORIO

Inclytæ Reipublicæ Grimmensis,

Dominis Patronis ac Promotoribus suis Honoratissimis

Primitias hasce ex fructibus studiorum Academicorum, testandæ observantiæ suæ causâ offert

Autor & Respondens.



Cum DEO!

§. 1.



Nſtant iterum *Calendæ Maji*, quas, poſt Divum Philippum & Jacobum, Chriſti Apoſtolos, Beatæ *Walpurgi* virgini antiquitas conſecravit. Noctem, quæ ferias has antecedit, rumor aliquis ætate admodùm gravis famoſam ac portentoſam fecit. *Ajunt enim in ea, ſolennibus à Diabolo comitiis indictis, univerſas totius Germaniæ Sagas convenire, ſuoq; Principi de novo Sacramentum dicere.* Videas eâ de cauſſa, inclinante die & veſperâ de cœlo præcipitante, fæmellas, imprimis ruſticas, ut ſuperſtitionibus deditum eſt ingenium vulgi, varias herbas & frondes, in his ſambucum maximè, conquirere, atque iſtas menſis, lectis, feneſtris, ſtabulis & neſcio quibus aliis locis adfigere. Ita enim incantationes veneficarum prætervolantium (ô ſancta ſimplicitas!) averruncari, ſibi perſvadent. Digna res propter jucunditatem ſuam viſa eſt, quæ peculiari Diſſertatione à nobis expediretur. Cui operi ut clementer annuat Numen divinum, ſupplici illud prece veneramur.

§. 2.

Antè verò, quàm, quid de illo conventu nobis videatur, exponamus, operæ pretium erit, brevem omnium circumſtantiarum ejus, ut vulgò adferuntur, hiſtoriam texere. Rem igitur ita contingere narrant: Poſtquam Lamia aliqua Diabolo homagium præſtitit, ſtatim Dæmon unus ad inſervien-

dum ipsi à Principe Dæmonum constituitur; quem quidem illa ad mollitiem & blanditiam aptô vocabulô *Magisterulum & Martinulum* suum salutat. Hic Strigem non tantùm ad conventus, quotiescunque opus est, (conveniunt enim & aliàs sæpiùs, quamvis is, qui nocte ante Maji Calendas instituitur conventus præ aliis solennis sit,) *impellit & convocat*, ita, ut sine sontica causa refraganti pœnas etiam irroget, sed & verè transportat. Ante deportationem autem *variæ figuræ, circuli & inclinationes* à saga fiunt, *unctio* etiam & *verba* adhibentur. Unctionem quod attinet, habet in pyxide ungventum aliquod, ex variis insulsissimisque rebus confectum, maximè verò ex ungvine infantuli necati. Hoc inungit baculum aut scopas, quibus, ut mox audiemus, devehitur. Aliquando tamen non baculum, sed vel crura, vel alias sui corporis partes illinit. Posset quidem sine ungvento sagas transferre Diabolus, & quandoque id facit. Sed ungventum tamen ut copiosissimè adhibeatur, autor iis est, quò quamplurimos infantes perimant. Indicio est, quòd dicit, primâ vice sufficere ungventum commodatò acceptum, postea necessum esse, ut ipsæmet illud sibi ex infanticidio præparent. *Conf. de his omnib9 Mart. Delri9, prius Hispaniarũ Regis Philippi II. Consiliarius & supremus Judex Belgici Exercitûs, deinde Jesuita ac in Lovaniensi, Græcensi, Salmaticensi Academiis Professor, Disquisitt. Magicar. libr. 2. quæst. 16. itemque Simon Majolus Dier. Canicular. Tom. II. Colloqv. 3. pag. 629. seqq.* Quà verba maleficæ dicunt: **Oben aus/ und nirgend an.** Hôc votô præmissô tolluntur in altum ac deportantur. *Vid. Dn. D.* **König** *Professor quondam Altdorffinus in Heptad. Cas. Conscient. Miscell. cas. 2. p. 40.*

§. 3.

Res, quam Diabolus in transvectione instrumenti locô adhibet, interdum est figura *hirci*, *tauri*, aut *alterius animalis* (scilicet non veri, sed phantastici,) interdum *arundo, colus, scopæ, furca* aut aliud quippiam à Diabolo sublevatum.

Exem-

Exempla in iſtis omnibus, quæ dixi, transportatarum collegit *Nicolaus Remigius, Ducis olim Lotharingiæ Conſiliarius lib. 1. Dæmonol. c 14.*

§. 4.

Terminus, ad quem devehuntur, eſt *Bructera*, mons ſylvæ Hercyniæ altiſſimus, in territorio Brunſvicenſi ſitus, cui olim *Meliboco* fuiſſe nomen legimus. Deſcriptionem ejus in peculiari tractatu Germanico *Dn. M. Johannes Prætorius* dedit. Frequentare autem hunc quæ in Germania ſunt Sagæ, nocte, ut ſuprà indicatum, ante Walpurgis feſtum (aliis enim temporibus alibi convenire poſſunt,) dicuntur. In aliis gentibus alia loca hâc ex re clara.

§. 5.

Quando jam ad *ludum bonæ ſocietatis* (ita Itali hos conventus appellant,) ſtriges delatæ ſunt, ignis plerumque accenſus eſt teter & horridus. Ibi Dæmon conventûs præſes in ſolio ſedet, formâ terrificâ, ut plurimùm hirci aut canis. Ad illum accedunt adorandi gratiâ, non eodem modo omnes & ſemper, ſed interdum complicatis genibus ſupplices, interdum obversô tergô ſtantes, interdum cruribus etiam in altum jactis, nec capite in anteriorem partem pronô, ſed reſupinatô, adeò ut mentum ad cœlum feratur. Tum candelis piceis oblatis, vel umbilico infantuli ad ſignum homagii eum in podice oſculantur. Interdum liberos ſuos Diabolo offerunt & occidunt; interdum hoſtiam ſacram poſt communicationem ore adſervatam & extractam coram Dæmone pedibus conculcant. His & ſimilibus ritibus ac flagitiis præmiſſis, incipiunt menſis adſidere, & convivari de cibis, quos Dæmon ſuppeditat, vel quos ſingulæ attulerunt. Solent diverſæ menſæ eſſe, cibis interdum delicatiſſimis, interdum valdè inſipidis & inſulſis onuſtæ. Aliquando ſuus cuique Dæmon aſſidet, aliquando maleficæ unâ ex parte, & ſuus cuique Dæmon ex adverſo. Nec menſæ ſua deeſt benedictio, & actio gratiarum, verbis conſtans planè blaſphemis, qui-

 bus

bus ipſum Beelzebub creatorem, datorem & conſervatorem omnium profitentur. Convivio interſunt facie interdum velatâ larvâ, linteo, vel alio velamine; interdum apertâ. Poſt convivium choreas ducunt, dum quisque Dæmon ſuam, quam cuſtodit, diſcipulam manu prehendit; & quidem dorſis invicem obverſis, & in orbem junctis manibus, jactantes capita more fanaticorum; nonnunquam candelas ardentes manu tenentes, quibuscum antea Dæmonem oſculantes adorârunt, & cantantes feſcenninos in honorem Dæmonis obſcœnisſimos; vel ad tympanum fiſtulamve ſedentis alicujus in arbore bifida ſaltant, omniaque ridiculè, & contra cæterorum morem peragunt. Tum ſuis amaſiis Dæmonibus fœdiſſimè miſcentur. Denique ſua unaquæque narrat ab ultimo conventu facinora, quæ quò gravivora, eò collaudantur uberiùs: ſi nulla, vel non ſatìs atrocia, verberantur à Dæmone. Ultimò pulveribus vel venenis aliis donantur, ſæpè etiam indicto cuiquam nocendi pensô, & pronunciatô Pſeudothei Dæmonis decreto: *Ulciſcimini vos, alioquin moriemini*, ſuas quæque domos, ſi propè ſint, pedibus; ſint diſtantiores, ut advectæ, repetunt. Solent & ſacrificia quandoque fieri Dæmoni in conventibus, eaque ſtatim initiò peractâ adoratione. Conf. *Schottum Phyſic. Curioſa lib. 1. c. 23. §. 6. p. 102. ſeqq.* ex quo hæc, ſumma brevitate ex aliis multis collecta, deſumſimus.

§. 6.

De hoc jam conventu ejusque ritibus (imo & conventiculis Sagarum in locis aliis) & eum antecedente transvectione, verenè contingant, an minus? per multa jam ſecula doctiores contentionis ſerram inter ſe reciprocârunt. Adfirmârunt multi, dicentes, *Lamias verè, ope Dæmonis, ad commesſationes, tripudia & id genus alia celebranda transportari.* Sed nec pauci etiam, vice verſâ, qui id negarent, inventi ſunt, *pro meris Satanæ præſtigiis & illuſionibus iſthæc, quæ jam dixi, habentes.* Autores in utramque partem adduxere *Delrius loc. citat. Gisbertus Voëtius Diſpp. Theologicar. ſelectar.* *part.*

part. 1 p.948. Caspar Schottus loco alleg.§ 1.& 2.p.90. & 91. B. Benedict.Carpzov.in Pract.Criminal part.1 qv.48.n.22.& 57.

§. 7.

Non verò adeò in quæstionem venit, an solæ animæ sagarum, relictis domi corporibus ipsarum, transferantur & conventibus intersint? Adserere quidem id ausus est *Johannes Bodinus* Gallus, qui, prout variis rebus applicare ingenium solebat, librum *de Dæmonomania* Gallicè conscripsit, qui deinde Latinè etiam ac Germanicè editus est. Verùm eâ sententiâ universis, qui æquâ mentis lance rem ponderant, Theologis juxtà ac Philosophis bilem movit. Neque id immeritò; cùm animarum illa extra corpora abreptio, & cum iisdem redunitio toti naturæ repugnet, & mortuorum veram resuscitationem inferat; quæ soli tamen Deo propria, & â Diabolo finito spiritu prorsus aliena est. *Conf.B.Jac.Martini in dissertat. de Magic.actionibus edit.Witteb.anno1623. it.B. Sperling.in Synopf. Phys. p.85.* Si tamen tale quid accidisse sibi Lamiæ confiteantur, id corrupto illarum judicio atque depravatæ phantasiæ tribuendum duxerimus. Cæterùm suis se refutant verbis. Etenim commessationibus indulgere, & tripudia exercere quâ ratione anima ab omni prorsus materia separata valeat? *Vid. B. Sperling. Institutt.Phys. p.379.*

§. 8.

Quæstio igitur remanet de toto, ut Philosophorum filii loqvuntur, supposito Sagarum, corpore simul & anima constante, quod verè transvehi & conventui nefario interesse, sententia, ut Delrius inquit, est communior Theologorũ, imo & Jurisconsultorum Practicorum Italiæ, Hispaniæ & Germaniæ, tenent etiam scribentes plurimi: ***nos autem cum aliis nonnullis, rationibus adducti gravissimis, negamus.***

§. 9.

Equidem posse Dæmonem corpora de loco in locum motu ce-

tu celerrimo vehere, non est quòd ambigamus. Tanta enim est spirituum potentia, ut iis corporalia omnia quoad motum localem obediant; tanta agilitas naturæ Angelicæ, ut celerrimè rem motam impellere possit. Ut verò huic adsertioni non rationes, ita nec rationibus exempla desunt. Angelus quidam Habacucum, capite apprehensum è Judæa Babylonem transferens, & statim inde referens, brevi temporis spatio immensa spatia locorum confecit, *Dan. XIV, 35.38.* Alius Philippum Hierosolymis Gazam iter facientem, transportavit Azotum. Actor. VIII, 26.39. 40. Nec juvat *Ulricum Molitorem*, quòd dicat *lib 8. de Python. Mulierib.* malè nos ab Angelis bonis ad malos argumentari. Eadem enim malorum Angelorum quæ bonorum potentia est; cùm in illis per lapsum ea tantummodò, quæ gratiæ erant, perierint, remanentibus naturæ dotib9, quamvis nonnihil ligatis & obfuscatis.

§. 10.

Quare etiam documenta verè â Diabolo delatorum & corporaliter deportatorum expedire habemus. Annon Christum Servatorem è deserto super pinnaculum Templi, & ex hoc in verticem montis valdè excelsi Cacodæmon transferre pro impudentia sua ausus est? *Matth. IV. 5. 8.* Novi equidem aliquos, in quibus est *Alciatus lib. 8. parerg. c. 22. & ex eo Philippus Camerarius Horar. subcisivar. centur. 1. c. 72.* veritatem hujus transvectionis negare; verùm hi textui sacro manifestam vim inferunt. Videantur hac de re agentes Theologi, & conf. *Dn Doct.* **König** *loc. citat.* Sed videamus & alia. Simon Magus Samaritanus (qui sub Claudio Cæsare statuâ donatus est, cum hâc inscriptione: *Simoni Mago Deo*, vel *Simoni sancto Deo*,) per aërem remigiô alarum Dæmoniacarum vectus vagari potuit. Tandē verò ad preces Divi Pauli, vel, ut alii referūt, Petri retractus, in terrā decidit, vitāq; finivit; quæ res Apostolo mortē attulit. *Vid. Egesipp9 lib 3. Excid. Hierosol. c. 2.* Et non semel compertū est, Dæmonem conjuratos suos in altissimas auras cū gemitu & ejulatu abripuisse.

§. 11. Utut

§. II.

Utut verò hæc ita ſint, compertum tamen non ſemel fuit, Sagas de transvectionibus, conventibus & tripudiis Dæmoniacis ſplendidiſſimè nugatas fuiſſe, cùm domi in ſuis cubiculis aut alibi jacuere, ſomno profundo obrutæ. Ex quô clarum evadit, iſta verè nequaquam contingere; ſed ad luſus & præſtigias meras Diaboli referenda eſſe. Tria ſaltem, (quoniam res plura non patitur, & trinum aliàs perfectum cenſetur,) exempla in medium adferam. *B. Lutherus*, poſtquam docuiſſet, transvectiones iſtas per aërem mera eſſe ſomnia Diabolica, *Tom. I. Jenenſ. fol. 126.* hoc exemplum ex *Johanne Keyſersbergio* Concionatore olim Argentinenſi adfert: Vetula, ut prædicatorem argueret mendacii, qui transvectiones ejusmodi docuerat eſſe falſas, ſerò eam vocavit, & adſpectante illo ſe inunxit, ſedensque in furca ac jam volens devehi, ſtatim obdormivit, & quibusdam geſtibus hinc inde ſe movit, donec de ſcamno caderet, & vulnus in caput acciperet. Tandem igitur reverſa ad ſe, convicta eſt de illuſione ex vulnere & caſu, quamvis vidiſſe ſe jactaſſet mirabilia. Geminum huic eſt, quod narrat *Simon Majolus* loco ſuperiùs allegato: Vetula quædam Burdegalenſis Maga apud judices confeſſa eſt, ſe cum aliis per hebdomadas ſingulas fuiſſe exportatam, ubi magnus hircus adoratur, quo autore abnegabant Deum, ſe Diabolo ſervituras ſpondebant, ſinguli pudenda illius oſculabantur, & poſt ſaltationes pulveres accipiebat quæque. Tum *D. Belottus* libellorum ſupplicum Magiſter, dicente Maga, ſe nihil poſſe, niſi è carcere educta eſſet, volens rei veritatem explorare, eam educi juſſit: & illa cùm ſe nudam certo adipe inunxiſſet, velut mortua expersque ſensûs corruit, deinde poſt horas quinque ad ſe reverſa exſurgens permulta narravit, quæ variis in locis ita habere, ut dixerat, comperta ſunt. Huc quoque pertinet, quod refert *Paullus Grillandus Jurisconſultus Italus in tract. de Sortileg. quæſt. 7. num. 6.* adducente *B. Carpzovio in Practicis Crimi-*

nalibus : Quidam maritus ex oppido agri Sabinensis habebat uxorem maleficam sive strigem, ut vulgò vocant: de crimine autem erat saltem suspicio, non certa notitia. Hæc cùm aliquoties à marito rogaretur, num ejus esset professionis, negabat constanter; crescente porrò rumore, & viris fide dignis apud maritum ejus flagitii uxorem insimulantibus, quòd ea familiariter uteretur aliis mulieribus, hujus criminis ratione cognitis, cum quibus etiam se turpibus miscere sceleribus, & nocturnos agere cœtus videbatur, decrevit maritus ipsam in ejusmodi operibus observare & deprehendere, cœpitq; pluribus noctibus diligenter & attentè vigilare, noctesque circiter duodecim egerat insomnes, attendens studiosè, num illa ad Dæmonum lusum, vel aliud maleficium evagaretur, & cùm penes se in lecto remaneret noctê totâ, quando semel lectum conscendisset, nihil unquam fraudis comperit, sed manibus illam semper in lecto contrectavit. Cùm verò post dies paucos, unà cum quibusdam aliis de eodem crimine accusatis in carcerem conjiceretur subdereturque quæstionibus, confessa est demum, se tali interfuisse lusui unà cum aliis mulierculis incarceratis flagitiique hujus reis, denominatô certo tempore die atque hora. Maritus verò adserebat, præstitô juramentô gravissimô, eam illa nocte, & maximè illa hora secum decubuisse in eodem lectô, & se eũ tum non semel tantùm studiosè tetigisse, sed pluries. Plura si quis sitiat exempla, ex *Olai Magni, Tostati Majoli, Carpzovii*, *Grillandi* aliorumque fontibus ea haurire poterit.

§. 12.

Potest enim Diabolus, ut est veterator nequam, & mille technarum artifex, ita illudere mancipia sua, ut sensibus internis externisque vinctis & consopitis, phantasiâ etiam læsâ & turbatâ credant se audire, videre & facere quæ nunquam tamen contingunt. Quas species Melancholicorum cogitationes non fingunt? In somniis etiam & nocturnis visionibus sæpe extra nos ipsos rapimur, & multa dormiendo in

spiri-

ſpiritu tantummodò videmus, quæ tamen in corpore accidere putamus. Cur Satanas, cùm mentem cujuscunque mulierculæ cepit, & hanc per infidelitatem ſibi ſubjugavit, non in diverſarum rerum ſpecies ac ſimilitudines ſe transformare, atque menti in ſomniis modò cognitas, modò incognitas perſonas oſtendere, convivia, choreas & omne voluptatū genꝰ proponere, & eā in devia quæq; deducere nequeat, ita ut dum ſolus Spiritus hoc patitur, infidelis tamen mens non in animo ſed in corpore iſta evenire opinetur? Ita ſcilicet maleferiatꝰ ille miſeros homines ineſcare & fictâ voluptate, non ſecus ac hamo piſces capiuntur, allicere, allectos verò in naſſa ſuâ retinere novit.

§. 13.

Deprehendas id in *Lycanthropis & Galeanthropis*. Perſvadent ſibi ejusmodi homines, mutatos ſe in lupos, feles aut alia animalia eſſe. Pervagari ſe campos, dilaniare pecora, alios que luporum aut cæterorum brutorum animantium actus exercere, neſcio quâ ficulnea credunt fiducia. Imprimis in *Borusſia, Livonia* & vicinis regionibus tale quid accidere hominibus, fama eſt. *Vid. Peucerus de Divinat. p. 160.* Sed nec naturæ, nec Satanæ hæc animalium productio & immutatio posſibilis eſt. Unde & ii, qui ſe in lupos credunt transformatos, altô immerſi ſomno, Diaboli ope, alicubi reperiuntur. *Vid. Camerar. Horar. ſubciſivar. cent. 1. p. 328.* Exemplum valde manifeſtum adducit *Dn. Michael Mei in diſp. de* λυκανθρωπία, quod ſibi à magno quodam Viro in Livonia teſte ejus rei oculari relatum dicit. Inventus enim eſt talis Lycanthropus, & â magna hominum frequentiâ luſtratus. Jacebat immotè ſtertens velut truncus, & cùm excitari non poſſet, fuſtibus probè, ſine omni tamen doloris ſenſu, dedolabatur; vulnus etiam aliquod leve faciei infligebatur. Tandem expergefactus miros vagationis ſuæ ludos exponebat, tot camporum peragrationes, tot pecorum dilaniationes, tot itidem gregum diſſipationes jactabat. Cùm autem rogaretur,

tur, undenam cicatrice faciem fœdasset? canis morsum armenta gregesque â Luporum irruptionibus defendentis esse ferebat. Cùm rogando instarent, quî totum quasi tuber esset corpus? pedi Pastoris notas esse ferebat, quô se lupum verberibus à pecoribus abegisset. Vid. plura exempla ap. *Peucer.* loc. citat. & *Bersmannum in Annott. super Metamorph. Ovidii fab. 2.* Quid ergò hic dicendum? Lusus Satanæ est, qui ἐκστάσει corripit homines, & phantasmata varia suggerit.

§. 14.

Quòd verò eandem technam adhibeat in fictis illis deportationibus & conventibus Sagarum, vel ipsa Sagarū confessio edocet. Dicunt enim se, quando causa aliqua est, cur realiter deportari nolint, (ut quando verentur, ne detegantur,) tamen, quicquid in conventu peragitur, ope Diaboli videre posse. Modum hujus rei manifestat *Jacobus Sprengerus in malleo maleficarum Tom. 1. part. 2. quæst. 1. p. 260*: Si, inquiens, aliquo casu nolunt transferri, scire tamen volunt omnia, quæ in concione illa ab earum consodalibus agantur, tunc talis ab iis servatur modus, ut in nomine omnium Diabolorum se reponant cubitum in latus sinistrum. Tunc quasi vapor quidam glaucus ex eorum ore procedit, in quo tanquam in speculo singula quæ aguntur in conventiculis conspiciunt. An verò Diabolus, quod semel potest, altera vice nequeat?

§. 15.

Sed excipere solet pars adversa, se concedere, quòd interdum Diabolus phantasmate Sagas ludat, id verò non semper contingere. Distinctionem ergò aliquam cudendam dicunt inter *actum verum & phantasticum*. Hunc admitti quidem debere, sed illum propterea non planè negari. Sed quodnam distinctionis suæ fundamentum habent? Scilicet ipsam Sagarum adsertionem, qui se interdum imaginariè, interdum

terdum vere transportatas esse & conventibus interfuisse garriunt. Eas autem & tunc, quando verè se putant transvectas, imaginibus ludi, exempla superiùs allata evincunt.

§. 16.

Adhiberemus plures ad dejiciendos muros partis contrariæ arietes, nisi Leges *Amplissimæ Facultatis Philosophicæ*, plures pagellas non permittentes receptui canere inciperent. Paucis tamen, dum licet, vires periclitabimur. Enimverò omnia, quæ de transvectionum istarum & conventuum caussis atque circumstantiis dicuntur, plena sunt ineptiis atque repugnantiis. Ad efficiendam deportationem Sagæ adhibent characteres, inclinationes, figuras, circulos, verba. At ut quantitatis, ita & eorum, quæ quantitatem sapiunt, cujus generis sunt omnia isthæc, quæ memoravi, nulla est efficacia. Horis paucis nocturnis in Bructera esse dicuntur. At in his non tantum transvehi, & redire, sed & adorare Diabolum, homagium ei præstare, illi sacrificare, tum convivari, choreas ducere, cum amasiis suis concumbere, & tandem narrare singulas tantô numerô congregatas omnia sua ab ultimo conventu facinora, an verò videatur simile? Mitto alia, de *unguento*, quô utuntur, de *loco*, in quo conveniunt, de *ceremoniis*, quas in conventu adhibent, atque hîc, DEo pro concessis viribus gratias exsolvens, desino.





BERSMANNE, publicè probas industriam,
Et quam Tibi eruditionem plurimô
Labore comparâsti. Ut hic laudem meret,
Sic nec suis carebit illa præmiis.
Quæ quò Tibi sint fausta, comprecor DEUM.

Præstantissimo Dno. Respond.
ex animo gratulans fac.

Balthasar Stolberg / *Prof. Publ.*
& Colleg. Philos. h. t.
Decanus.




HOc munus est fortis bonique militis,
Ut pugnet antè strenuè, quàm lauream

Sibi

Sibi adserat. Sic Palladi qui nomina
Dedit, coronas, indices victoriæ,
Post erudita consequatur prælia.
Quare quis illas jure deneget Tibi,
BERSMANNE, cui non pugna fortis displicet?

Constantinus Ziegra/
D. P.P.



Ob wohl die Hexen-Zunfft niemahls den Berg besteiget/
Wo der berühmte Hartz mit seiner Pracht sich zeiget/
Weil Ihr der Teuffel nur bethöret Ihren Sinn:
So schwingest du Dich doch auff Pindus Spitzen hin/
Wo eine beßre Zunfft der Musen ist zu finden/
Die jetzund einen Krantz zu deinen Ehren winden:

Darumb

Darumb wie Brockers-Berg eröffnet
deine Kunst/
So lohnt Dir Pindus-Berg mit ungemeiner Gunst.

Dem Herrn *Respondenten* als seinem
werthen Freunde schrieb
dieses

M. Johann Müller/
Præses.



AUfugére nives, campus nunc gramine vernat,
Arbor & umbrosas explicat alma comas.
Brumæ qui fuerant enecti tempore flores,
Incipit in vitam ver revocare suam.
Sic Tua, quæ latuit, virtus quasi mortua, *Amice,*
Convalsat vires, accipit atque animam,
Et quasi parturiens naturæ trudit in arvis
Ingenii violas, quas fovet alma parens.
Gratulor hunc fœtum, qui nunc se tollit in auras
Aonias, aderit messis opima Tibi!

Felicioris ominis ergò
fecit

M. Christianus Hermannus,
Mittweidâ-Misnicus.

